



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

§. I. An Regulares subsint legi diœcesanæ, vel jurisdictioni Ordinariorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)



punitio, & absolutio; item omnia, quæ spectant ad gubernationem diocesis, ut statuta condere, &c. sic Pereyra in *Elucidario*, n. 196. Idem habet glossa in casu c. *Si ex Laicis*, 10. q. 1. ibi: *lex jurisdictionis est, qua Episcopus potest Clericos ordinare, altaria, Ecclesias, & Virgines consecrare, corrigere, suspendere, cognoscere de causis civilibus, & criminalibus; & generaliter ad suam jurisdictionem pertinet, omnia Sacramenta conferre.* Lex autem diocesana, secundum Pereyram cit. est ea, quæ consistit in recipiendo, id est, quæ statuit de his, quæ sunt conferenda Episcopo, & ab ipso sunt recipienda v. g. Cathedralicum, quarta funeralis, visitatio annua, &c. Et juxta gloss. cit. ibid. lex diocesana est, qua Episcopus recipit Cathedralicum (tertiam scilicet, vel quartam partem decimationum, secundum diversas consuetudines) & qua vocat Clericos ad Synodum, & exequias, &c. his præmissis:

## §. I.

*An Regulares subsint legi diocesana, vel jurisdictioni Ordinariorum?*

1287. **R**esp. Regulares, jure communi exemptos esse à lege diocesana Episcopi; non verò à lege jurisdictionis, nisi speciali privilegio sint muniti; sic Thomas Sanchez l. 6. *consil. c. 9. d. 1. n. 8.* & complures alij. Prima pars quoad exemptionem à lege diocesana habetur in 10. q. 1. c. *Si ex Laicis*. 1. ubi dicitur, omnes Ecclesias, præter Monasteria, subesse Episcopo quoad legem diocesanam, & quoad legem jurisdictionis; Monasteria tamen exempta esse à lege diocesana, & hoc in favorem Religionis; non tamen à lege jurisdictionis, ut habetur in c. *Interdicimus*, 16. q. 1. sic gloss. *ibid. in casu*, simul addens, eandem exemptionem competere capellis Monasteriorum. Idem habetur c. *Inter cetera*, 10. q. 3. ibi: *Monasteriorum tamen basilicis ab hac solutionis pensione se junctis*; ubi gloss. *V. solutionis*, ipsa enim monasteria, inquit, à lege diocesana sunt exempta, tum vi cit. textus; tum vi c. *Cum pro utilitate*, 16. q. 1. c. *quam sit*, 18. q. 2. Secunda pars (quod Regulares subsint Episcopo, quoad legem jurisdictionis (nisi sint

exempti) constat tum ex primò dictis, tum ex c. *Cum venerabilis*, 7. de *Relig. domibus*, ubi habetur, Episcopum, petentem Ecclesiam quoad spiritualia, & temporalia, obtinere in spiritualibus, eo ipso, quod probet, esse in sua diocesi, si non appareat exempta; sed in temporalibus succumbere, nisi aliter doceat de jure suo, & c. *Cum dilectus*, 8. eod. ubi dicitur: monasterium subjectum esse Episcopo, in cujus diocesi situm est, nisi probetur exemptum.

Advertendum autem, hoc (quoad subjectionem, Episcopo, ac Ecclesie Cathedrali debitum (procedere solum de Monasteriis, vel Ecclesiis sitis in diocesi, & non exemptis. Unde, si aliqua Ecclesia, non Cathedralis vendicat sibi jus in alia Ecclesia, obtinebit solum quoad ea, quæ probabit sibi deberi præscriptione, vel alio legitimo modo, ut expressè definitum est in c. *dilectus*, 2. de *capellis monachor.* Hinc Parochus, ex hoc præcisè, quod aliqua Ecclesia sita sit intra fines Parochie, nullo fundamento juris, illius subjectionem prætereendere potest; cum textus, concedens Episcopo, & Ecclesijs Cathedralibus, jus in Ecclesijs in diocesi sitis, expressè id neget ex hoc titulo Ecclesijs non Cathedralibus.

## §. II.

*An Regulares subsint legi jurisdictionis Legatorum Papæ?*

1289. **P**RO resolut. not. 1. Legatos Papæ alios esse, qui dicuntur *Legati à latere*, & hi spectato usu, & stylo Romanæ Curie, sunt soli Cardinales, quando mittuntur à Papa cum officio legationis; dicti à latere, quod semper assistant Papæ, eique sint à consilij, habentes, cum eos Papa mittit, cæteris Legatis majorem potestatem, c. *Si Abbatem*, de *elect. in 6.* alios, qui vocantur *Legati nati*, propterea, quod nascantur cum officio legationis, hoc est, quod habeant dignitatem Ecclesiasticam, cui officium legationis annexum est, cujusmodi est Archiepiscopus Cantuariensis, Salisburgensis, &c. alios demum, qui nec sunt à latere, nec nati, qui dicuntur *Legati missi*, & Nuntij Apostolici. Si tamen alicui, non Cardinali, sed Nuntio tantum, daretur facultas Legatorum de latere